



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Qvæstio XI. In Titulum XI. De Infantibus, Et Languidis Expositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

sponte proprium filium occidens, mittatur ad monasterium, ubi perpetuo desinat crimen; intellige, si viro carcat; nam à viro, si quem habet, separanda non est; si autem libera sit; & carnis stimulos evitare nequeat, nubendi licentiam impetrare possit. Ex hoc colligitur, interfectionem proprii filii esse impedimentum impediens matrimonium; de quo Sanchez l. 7. d. 6. à n. 22.

797 Respondeo 2. in c. 2. ejusdem tit. agi de oppressione infantum, quos parentes quandoque secum accipiunt ad lectum, casu non raro contingente, quod ejusmodi infantes, inter dormiendum, à parentibus suffocentur, & sic loqui textum: *de infantibus, qui mortui reperiuntur cum Patre, & Matre, & non appareat, utrum à Patre, vel Matre oppressus sit ipse, vel suffocatus, vel propria morte defunctus? non debent inde securi esse Parentes, nec etiam sine pœna: sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit: si autem ipsos non laet, ipsos interfectores esse, scire debent, se graviter deliquisse. Quidam autem penitentiam trium annorum judicant esse debere, quorum unum peragant in pane, & aqua.* Ex quo textu colligitur, parentes graviter obligari, ne tenellum infantem secum ad eundem lectum accipiant, propter periculum, ne ab illis obdormiscentibus suffocetur, vel opprimatur. Cum enim res periculosa sit, culpa non caret, ut rectè notat Paulus Comitulus l. 4. Responf. moral. c. 12. excusat tamen eos, si aliter placari non possit infans, aut defendi à frigore, &c. Col-

ligitur 2. in dubio, an infans naturaliter obierit, an suffocatus à parentibus, in casu, quo ab eis ad eundem lectum receptus invenitur mortuus? præsumi quidem aliquam culpam, ut liquet ex illis verbis (*non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna*) non tamen gravem, propter pietatem paternam in liberos, ut habet textus; ex qua non admittitur præsumptio mortis illata voluntariè, seclusis aliis circumstantiis. Col. 3. in casu, quo parentes norunt, à se infantem suffocatum, vel oppressum esse, nimirum opere advertenter factò, aut periculo saltem temerè admissio, reos esse peccati gravis; triennem tamen illam penitentiam in eos præterea non statui, sed solum dici, à quibusdam judicari, eos tali pœnâ plestendos esse; adeoque pœnam esse arbitriam, ut not. Barbof. in c. 2. h. t. n. 1.

Præter hæc not. cum oppressio infantum, in dato casu facta, numeretur communiter inter casus, quos Episcopi sibi per constitutionem Synodalem reservare possunt, ut notat Stephanus de Gaëta, in c. *ad limina* 30. q. 1. §. 350. & ideo etiam graviter prohibeant, ne parentes teneant filios in suis lectis: reservationem illam non incurri à parentibus, nisi per ejusmodi receptionem parvulorum ad lectos graviter peccaverint effectu oppressionis, vel mortis secuto. Nam delicta levia, aut opere in actu externo non consummata, non reservantur, nisi aliud exprimatur.



QVÆSTIO XI.

IN TITULUM XI. DE INFANTIBUS, ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

799 **E**xpositi, teste Pereyra in Elucidario n. 1754. (prout hic terminus usurpatur in c. unico hujus tituli) dicuntur, (uti declarat Sylvester V. *Expositi*) infantes, servi, liberti; & *languidi*, si dimittantur sine cura, vel eis negentur alimenta à parentibus, Dominis, vel Patronis. Illi igitur

expositi propriè dicuntur, qui abjiciuntur, vel ut pereant, vel ab aliis commiseratione motis suscipiantur, & alantur c. si *expositus* dist. 87. Unde necare videtur, non tantum is, qui partum præfocat; sed & is, qui abjicit, & is, qui alimenta denegat, quique publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet. L. *Necare* ff. de agnosc. & alend. liber. his præmissis:

X 2

Quæ-

- 800 Quæstio est 1. quid in hoc textu veniat nomine *infantis*? quid, nomine *languidi*? R. per *infantes* hic intelligi minores septennio completo. c. *litteras* de desponsatione impuberum; per *languidos*, qui perpetuo morbo, eoque incurabili, per quem cuique rei gerendæ inhabiles fiunt, laborant. L. *Morbus* ff. de V. S.
- 801 Quæres 2. quæ poenæ statuta sint in eos, qui exponunt infantes, vel languidos? R. ut poenæ in eos statuta incurrantur, requiri, quod id culpabiliter faciant, ut si *parentes exponant filios, quos nutrire, & alere commode possunt*. Sic enim agunt contra naturalem pietatem liberis debitam à parentibus. Sic Azor p. 2. Instit. moral. l. 1. c. 26. q. 2. quo posito. R. quod, si Pater, aut alius ipso sciente, & ratum habente, exposuerit filium infantem; amittat jus patriæ potestatis; & Dominus jus servitutis, si servum; & Patronus, jus Dominicæ potestatis, si libertum languidum; prout expressè statuitur c. *Unico*, h. t. Idque in poenam relegati ab eis officii pietatis, quâ natura vinculo parentes liberis obligentur.
- 802 Not. autem 1. poenâ latâ contra parentes, qui exponunt filios, comprehenditur etiam eosdem, quando exponunt filios *spurius*. Nam & hi nomine *filiorum*, iure naturali veniunt; nisi id faciant ex gravi, & iusta causâ; ac exponant tali loco, ubi commode illis succurri possit ab aliis, ut exponit Aloysius Riccius, in praxi aurea resolut. 28. n. 2. Navarr. in Manual. c. 15. n. 17. Not. 2. quod, licet Pater exponens filiam, perdat jus patriæ potestatis, ex hoc tamen non liberetur ab onere dotandi eam. Nam jus illud perdit solum quoad sibi utilia; non quoad onerosâ, ne scilicet ex delicto suo recipiat commodum, sic Azor cit. q. 10.
- 803 Not. 3. quod Parentes possint agnoscere expositos pro filiis; & eo casu expositi, sic agniti censebantur legitimi, & sui hæredes. Sic Barbo in cit. c. *Unic*. n. 6. Not. 4. si expositus postea occidat parentem, non esse puniendum poenâ parricidii, sed homicidii ordinarii. Menoch. de Arbitrar. Casu 396. num. 14. nimirum in vindictam paternæ impietatis, prius exercitâ in exposito.
- 804 Quæres 3. an, qui expositos alunt, acquirant aliquod jus in expositos, vel eorum parentes? R. si infans à Patre expositus, alimenta accepit ab eo, qui ea dare tali casu debebat (deben tamen in casu, quo expositi
- parentes ignorantur, expositis alimenta præstari ex pietate ab Ecclesia, vel ejus Rectore; si autem hi sufficientes sumptus non habeant, nec extent hospitalia publica, communitates suis expensis eorum curam suscipere consueverunt; sic Barbo in c. *Unicum* h. t. n. 4. & 5.) & cum dentur causâ pietatis, repeti non posse, Coll. ex c. *Sacror*. 12. q. 2. sicut non repetuntur data mendico. Sic Perez ad Tit. C. de Infantibus. Idem dicendum est, si alimenta acceperunt à loco pietatis, vel misericordiæ causâ, extracto. Excipe, nisi talis locus extractus sit solum pro egentibus. Nam in casu, quo parens expositi non eget, & infans ejus à tali loco alimenta accepit, repeti possunt. Si autem exposito alimenta præstitit consanguineus, vel conjunctus, præsumitur fecisse causâ pietatis, quamdiu oppositum non constat, ut dicitur L. *Patrem* C. de nuptiis, ubi habetur, si is, qui filiam à Patre expositam nutrit, velit illam matrimonio jungere filio suo, & Pater expositæ id ipsum nolit, hunc teneri alimenta ei præstata solvere. V. Azor p. 2. l. 2. c. 26. q. 1.
- Ceterum is, qui expositum aluit, nullum jus in eum acquirit. Ut dicitur in cit. c. *unico* h. t. Et ideo Expositis succedit hospitalale, excluso filico; non is, qui nutrit. Barb. cit. c. n. 9. nec consanguinei, propter neglectum paternæ pietatis; ita Surdus de aliment. tit. 6. q. 18. n. 19. Illud etiam notandum interesse, an quis filium occidat, vel, negando debita alimenta, det causam mortis? l. 4. ff. de liber. agnosce. Et ideo talis expositio, vel poenâ proprii infanticidii puniatur, si exponatur infans in loco distito, & solitario, & ab hominum frequentia remoto, eo fine, ut pereat, & sequatur mors; si autem reperiat vivus, poenâ arbitraria est; & fustigatio, vel relegatio, si contra mentem exponentis reperiat mortuus.
- Quæres 4. an infantes expositi habeantur pro legitimis, ut absque dispensatione ad Ordines admitantur? Negativè respondet Doctor Philippus Braun. l. 5. in hunc tit. Covar. in Clem. *si furiosus* p. 2. n. 9. & alii, eò, quod censeantur Spurii; quia non solent legitimi exponi; sed potius nati ex furtivis, & illicitis congressibus; hanc opinionem esse securiorem censent Suarez tom. 5. de censuris d. 40. l. 3. n. 4. Layman. l. 1. Summæ tr. 5. p. 4. c. 5. n. 4. & alii apud Barbo h. t. §. *quæstio celebris*, cum expositi acquirantur vulgò quæsitis: Malfardus tamen de

de Probat. conclus. 99. Menoch. Sayrus, Salas, & complures alii, cum Barbof. p. 3. de offic. de potestate Episcopi, allegat. 51. n. 150. censent, expositos, & liberos, de quorum parentibus non constat, legitimos esse censendos, & capaces successionum, Ordinum, & dignitatum, de quibus non sunt statuta, requirentia qualitatem nobilitatis, & alia hujusmodi, quæ positive docenda sint. Ratio est, quia stante origine dubiâ, potius judicandum est pro legitimitate; secus præsumeretur delictum in dubio; & hæc opinio est satis probabilis sub facta limitatione.

Sed esto quis sequatur priorem opinio-807 nem; complures tamen censent cum ejusmodi expositis, Episcopum dispensare posse, ut ad ordines, & curata beneficia promoveantur. Licet enim Episcopi jure ordinario non possint dispensare in irregularitate; possunt tamen in casu dubio; præsertim cum lex, quæ statuit illegitimis irregularitatem, non sit in possessione, nisi ex *suppositione*, quæ dubia est; in tali autem casu interpretatio mitior fieri debet juxta dicta l. 1. de Constit. Ita Suarez, Layman loc. cit. & alii.



QUÆSTIO XII.

IN TITULUM XII. DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, ET CASUALI.

808 **H**omicidium in genere, est *occisio hominis ab homine facta*, ut dicitur c. si homicidium 23. q. 5. vel clarius, est *qualibet exanimatio hominis; seu humani corporis, violenter ab homine facta*, qua anima à corpore separatur, ut ait Wesenbecius ad L. Cornel. ff. de sicariis. Dicitur *ab homine facta*. Nam si homo occidatur à bruto, non est propriè homicidium, sed vocatur *pauperies*, ut constat ex toto titulo Institut. & ff. si quadrupes pauperiem; dicitur *exanimatio hominis*, quo intelligitur *homo*, cujuscunque ætatis, conditionis, vel sexus l. 1. §. qui hominem eodem: & L. penult. C. eod. imò, & fetus adhuc in utero, si animatus sit, sub eo nomine venit.

ARTICULUS I.

Quotuplex sit homicidium.

809 **H**omicidium juxta Canonistas, in ordine ad poenas incurrendas, est duplex, unum *voluntarium*, alterum *casuale*. *Voluntarium* dicitur à Molinâ to. 4. d. 3. n. 4. quod est intentum, aut perinde reputatur, ac si esset intentum. Unde fit dupliciter 1. quando quis exequitur actionem occisivam, eo animo, & intentione, ut mors alicujus sequatur, & est *voluntarium directum*. 2. Quan-

do facit opus, quod ex sua natura ordinatur ad mortem alterius, v.g. propinat venenum lethiferum, vel infligit vulnus lethale, sed non animo occidendi. Hoc tamen perinde est, ac si intendat occidere, & dicitur *voluntarium indirectum*. Casuale dicitur ab Azorio to. 3. l. 2. c. 14. quod contingit præter intentionem agentis, aut omittentis opus aliquod, unde mors alterius consequitur, ac proinde non est intentum in se, aut in aliqua causa, ex qua solitum est accidere homicidium semper, aut frequenter quamvis ex ea raro, & in paucioribus eveniat.

Apud Legistas (*in ordine ad punitionem*) 810 homicidium unum est, quod dicitur *casu factum*, culpâ tamen interficientis præse sumptâ, ut à dolo distinguitur: alterum *dolo factum*. Homicidium casu factum est idem profus, quod casuale à nobis explicatum n. priori, & punitur arbitrio Judicis poenâ majori, vel minori, prout major, vel minor culpa juridica intervenit. Homicidium *dolo factum*, idem reputatur, atque intentum, ac scienter factum, & coincidit cum voluntario, puniturque poenâ homicidii ordinariâ; ita Molina tract. 3. d. 21. n. 1. ex l. 1. §. Divus ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & l. 1. & l. cum C. eodem. tit. Idem d. 23. per totum, ubi rectè exponit *triplex homicidium voluntarium*, nempe ex proposito, ex insi-